



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. An, & quatenus aliæ res, § jura Ecclesiarum vendi possint, vel non possint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

quatenus verò pretium pro re, sive merce offerretur, sit emptio; neque post consensum mutuo præstitum alterutra pars pœnitere possit; quamvis enim quoad integritatem completam, traditionem rei ex parte venditoris, & solutionem pretij ex parte emptoris factam requirat, quoad substantiam tamen, vel essentiam, per solum consensum mutuum in mercem determinatam (sive mobilis illa sit, sive immobilis, modò pecunia sit æstimabilis) & pretium certum determinatum (quod in hoc cōtractu est pecunia) signis externis expressum, perficitur in quo etiam à variis aliis contractibus, qui rei traditionem, literarum, aut verborum certam formulam ad sui substantiale complementum requirunt, distinguitur.

§. II.

De Emptione & venditione rerum sacrarum.

Quod res sacræ, ad divinum cultum specialiter deputatæ, & ritè consecratæ ad usum profanum vendi non possunt, clarè patet ex §. *sacra res. Instit. de rerum divis.* & quia ad usum humanos, juxta regulam 31. in sexto transferri non debent, quæ semel Deo dicata sunt. Et si res sacræ ita constitutæ sint, ut earum materia non possit separari, ac inter profanas haberi, nec ad usum sacrum vendi possunt, juxta *Can. si quis abjecerit. c. 1. q. 3.* ubi dicitur *neutrum invenditum relinquere, qui eorum aliquid vendit, sine quo nec alterum provenit;* ergo, qui vendit rem sacræ, cujus materia à consecratione v. g. separari non potest, etiam

consecrationem vendit, & sic Simoniam juris divini committit, quamvis ad usum sacrum vendat; Excipiuntur tamen sacra vasa, aurea, argentea, aut alia pretiosa, quæ ob necessitatem redimendi captivos, aut aliud simile pium opus vendi possunt. uti ex pluribus juribus patet *causa 10. q. 2.* & quidem integra, si vendantur Ecclesiæ, aut Laico etiam, si absit periculum abusus ad profanos usus, casu quo v. g. comparate talia velit, ut eis ad cultum sacrum in suo oratorio, aut sacello uti velit, ita ut nec dominium, nec possessionem eorum acquirat; contracta verò, contracta aut dissuta, si ad profanos usus, vel cum periculo profanandi vendantur.

§. III.

An, & quatenus alia res, & jura Ecclesiarum vendi possint, vel non possint?

Res Ecclesiæ merè spirituales, cujusmodi sunt omnes actus procedentes à potestate ordinis, sacrificare v. g. absolvere à peccatis, consecrare Ecclesias, solemniter benedicere &c. nullo modo vendi, & emi possunt, quia talium actuum venditio verissimam Simoniam juris divini, & naturalis continet, in quantum Spiritualia pro pecunia æstimantur; si verò rei spirituali annexum sit quid temporale, attendi debet in ordine ad vendendum tale temporale, utrum temporale illud annexum sit spirituali consequenter, tanquam effectus suæ causæ, prout annexum est juri spirituali beneficiati, jus temporale percipiendi redditus

reditus, decimas &c. vel utrum annexum sit antecedenter, ita ut temporale tale subiectum v.g. sit, cui spiritualis consecratio, aut benedictio supervenit, prout Ecclesia, coemiterium, vasa alia Ecclesiasticum sacris usibus deputata, consecrata, aut benedicta &c. quibus ut subiectis consecratio, aut benedictio supervenit &c. Priore modo, si annexum sit temporale Spirituali, vendi tale jus temporale sine Simonia (saltem juris positivi) non potest (nisi autoritate legitima à jure Spirituali separatum sit) cum jus tale percipiendi redditus temporales, decimas &c. fundetur, & radicitur in jure Spirituali, & sit quasi unum jus, quod immediatè ad Spirituales functiones, mediatè autem ad temporales fructus terminetur, & consequenter uno vendito, alterum non relinquatur invenditum, juxta relarum *Can. si quis objecerit*; si verò posteriore modo, antecedenter annexum sit temporale Spirituali; aliqua eorum, quorum materia usibus profanis servare non potest, prout se habent Ecclesie, Lapides, ligna &c. coemeterij ab Episcopo benedicti fundus &c. vendi non possunt, alia verò, quæ contracta, usibus profanis ratione materiae servare possunt, vendi possunt, ut ex superiore §. patet, ita tamen, ut in eorum venditione, si immobilia sint, aut mobilia pretiosa, serventur, quæ circa alienationem talium rerum servari debent.

•§*•§•

§. IV.

An externis & peregrinis liceat vendere mercem quam indigent, & qua sit poena falsantium justis mercibus, ac pondera?

AD priorem questionem, in *Cap. placuit, l. h. t.* cum iustum tempus respectu cuiusvis semper observandum sit, quod circa res tales bonæ vitæ necessarias non cuiuslibet arbitrio liberum relinquatur, sed sæpe à magistro prescribitur, diversum quidem nunquam pro extraneis, ob iustam causam, & pro iacolis, nunquam excessivum.

Ad alteram questionem, si in antiquo Canonico, quando ad hoc erat Canonum penitentialium, sit, responsio peti debet, cuius tamen hodie usus non est, de jure civili questio moveatur, *penult. ff. ad Legem Cornel. de rebus venditis*, responsio peti potest.

§. V.

An venditio vel emptio in qua pretium ultra, vel infra dimidium justum sit invalida, vel saltem rescindi possit?

SI venditor nec dimidium partem pretii, & emptor nec dimidium partem pretii, tempore contractus fuerit accepit, & sic infra dimidium justum pretii læsus fuerit, valet quidem venditio, & emptor tamen potest, ut vel relictum pretium, & petere, ut vel relictum pretium, res vendita sibi restituantur, & justum pretium defectum suppleat.